MEDIZINISCH-NATURWISSENSCHAFTLICHE SAMMELHANDSCHRIFT. FEUERWERKBUCH

Salzburg, 1470-1471

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8261
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sic. Accipe carnes columbarum et sicca et tere et pulueriza et cum aqua rosarum misce totum, et parum musci admisce, potest autem diu seruari et in vase vitreo et spisso ore bene cooperto et obturato cum cera, melius vero in vase plumbeo, ut frigiditate et humiditate plumbi melius conseruetur. In alio vero vase si seruetur apponantur duo uel tria frusta plumbi ut melius seruetur. Non debet seruari cum aliis aromaticis speciebus quia tunc suam aromaticitatem amitteret. Si vero amiserit in olla positus ore apto in cloaca suspendatur et aromaticitatem recuperabit. ¶ Virtutem habet confortandi ex aromaticitate dissoluendi et consumendi ex qualitatibus suis. ¶ Contra sincopim et totius corporis debilitatem, siue vitio splenis siue epatis siue cerebri, et contra dolorem stomachi ex frigida causa detur simpliciter cum vino vel cum dyamargariton uel cum pliris arcoticon ad plus, in quantitate iii granorum. ¶ Contra debilitatem cerebri et precipitationem mentis suffumigetur ex eo. ¶ Ad menstrua prouocanda et conceptum impeditum ex frigiditate trifera magna cum musco supponatur. ¶ Contra fetorem oris masticetur musci parum, palliat fetorem. ¶ Contra fetorem subassellarum qui hircus dicitur, illiniatur sub assellis et fricetur cum eo, palliat fetorem. ¶ Nota quod quidam mercatores cum volunt emere muscum obturant nares ne odorent et iubent discooperiri muscum et currunt obturatis naribus per medium iactum lapidis flatum tenentes et post attrahunt aera per nares et os, et si sentiunt odorem musci emunt, si non, non, et sic ita probant muscum.

De mirabolanis

Mirabolani omnes frigidi sunt et sicci generaliter, sed citrini frigidi sunt et sicci in 2º gradu. Chirabolani fructus sunt cuiusdam arboris in India nascentis, eiusdem manerei sunt omnes sed tamen diuersorum effectuum et formarum, sicut pruna sunt eiusdem generis sed diuersorum effectuum et formarum. Chirabolanorum species sunt quinque bonorum. Citrinus, kebulus, bellericus, emblicus, indus. Primo trahit coleram, citrinus flegma secundo, kebulus econtra, bellericus, emblicus eque. Isti et quasi colere nigre magis imperat indus. ¶ Eligendus est citrinus qui grossus est et ponderosus et cum frangitur interius est gummosus. Per xv annos seruantur kebuli et bellirici non nisi per v. Emblici et indi per multum tempus possunt seruari. Non est curandum de electione emblicorum et indorum. Auctores dicunt quod omnes mirabolani purgant coleram, sed quidam plus, quidam minus. Citrini principaliter purgant coleram, secundario flegma, kebuli principaliter flegma, secundario coleram. Indi principaliter melancoliam, secundario coleram. Emblici et bellirici indifferenter flegma et coleram. Cum ponuntur mirabolani citrini in medicinis compositis, ab auctoribus cortices debent tantum ponderari et poni. tamen in decoctione debent ponderari cum nucleis et post nuclei debent abici et cortices poni, et similiter kebuli. Alii vero debent cum nucleis poni quia non possunt a nucleis separari vel quia parui sunt nuclei. Attendenda est in quantitas et modus mirabolanorum citrinorum. In quantitate ʒ. ii. et ʒ. v. ad plus debent poni cum per se ponuntur hoc modo puluere //